

2. Quid si reus ab hac torturæ interminatione provocet, & appellet, simulq; defensionem alleget, eritne audiendus? Negat *Henr. Bocer. in eleganti tractatu de tortur. c. 3. num. 172. cum seqq.* ab eâ Judicis interlocutione; quâ tortura reo dictatur, appellari posse ad tribunal superius. Vide *disc. meum Acad. 3. miscell. 7.* Adfirmant verò *Dn. Henr. Nebelk. decis. 21. p. 236. Zanger. de questionibus, c. 4. num. 3. Brun. de Sol. in locis communibus juris Casarei, verb. appellatio datur à decreto, de exequendo, n. 12. Christ. Besold. de appell. c. 7. num. 6. Camill. Borell. conf. 30. cent. 1. Paris de Put. de Syndicatu, verb. tortura, vers. quæro, nu. 4. Zieritz. hîc, verb. torturæ interminationem.* Vide *Dn. Herm. Goëhaus. in processu adversus sagas, tit. 3. in notis D. E.* Reprehenduntur meritò Judices, qui sitientes sanguinem humanum potius, quàm Justitiam, & cupientes haberi justî, cum non sint, nolunt pronunciare in lite criminali, reum torquendum esse, ut evitent appellationem in dictâ interlocutoriâ interponendam, *Farin. de ind. & tort. lib. 1. tit. 5. q. 38. num. 7. Vent. de Val. de remed. abbr. lit. lib. 2. c. 12. n. 35.* Memini ego in causâ F. contra B. R. torturam decretam fuisse, & cum à reo ad Cancellariam P. appellaretur, eveniebat, quod reus manifestissimis probationibus fisci intentionem, & quidem in specie elideret, & se tempore perpetrati delicti (cujus infimulabatur) alio in loco fuisse probaret, & liberatus est. Cæteroquin appellatione remotâ, torturæ fuisset subjectus non sine existimationis, corporis, & vitæ periculo. Vide *art. 47. seq. con. l. 3.*

ARTICULUS XLVII.

Innocentiæ ante torturam, ejusq; probationis assertio.

1. Summa hujus Articuli, quod defensio inquisito, vel accusato ante torturam non sit deneganda. Nam favor innocentia, magnus, major, maximus, & summa est ratio, quæ pro ea facit, & omni tempore de innocentia rei, etiam confessi & condemnati, quærendum est, si de innocentia constat, *Franc. Cason. in aur. tract. de indic. & tort. tract. 10. c. 4. num. 24. Thom. Metzg. conf. crim. 1. n. 41. cum seqq. & conf. crim. 15. p. (mihi) 269. n. 102* Imò Diabolo, si standi personam in Judicio haberet, non deneganda esset defensio, *Chass. conf. 58. nu. 32. Seb. Medic. in tract. de cas fort. par. 1. q. 8. num. 29. Flam. Cartar. & execut. sent. in pref. n. 9.*

2. Et ante torturam defensio, quæ tamen calumniosa non debet esse, *Zieritz. hîc, verb. nunquid ostendere valeat*, concedenda, ne imitemur illos, qui furem strangulari curant, & deinde disquisitionem instituunt. Eleganter *Zieritz. hîc, verbis: imò ante torturam.*

3. Si reus demonstrare forsan potest, se ipso illo tempore, quo crimen fuerit perpetratum, alibi fuisse, & quidem isthoc loci, unde innocentia appareat. Vide *art. 46. concl. 2. in fin* hujusmodi assertio innocentia neq; captivo. neq; ejus adnatis sine gravi & evidenti causâ deneganda erit, latè *Steph. hîc, Gobl. in autario, pag. 53.* Nemo enim ante hac vidit, nec potest fieri, tempore uno, homo idem duobus ut locis simul sit, licet de Johanne Teutonico scribat *Wierus,*
(qui